



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam


Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs V. De Differentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

intellectus, aut voluntatis nostræ hoc solo dissimilibus, quod ferantur ad duas illas personas. Rursus, ut secundam solutionis nostræ partem in transcurso confirmem; indiuidua inæqualia ita sunt instituta, ut alterutrum cum aliis sibi æqualibus seriem quandam tantæ perfectionis entitatiuæ constituat: alterutrum ergo est diuersa speciei logicæ ab aliis, quidquid sit, an moraliter sint eiusdem speciei ob paritatem, & vix notabilem eorum dissimilitudinem, & inæqualitatem.



TRACTATUS V.

De differentia.

CAPUT I.

Quid sit Differentia.

PORPHYRIUS differentiam tertium prædicabile definit, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.* Contrà quam definitionem illud facit, quod differentia infima, qualis est hiinibile, aut rationale non prædicatur de pluribus differentibus specie, sed solo numero, cum tamen sit vera differentia, ut quæ maximè. Cui argumento plures plura respondent.

Primo nonnulli, definitionem curtam esse, & pro differentia in communi insufficientem largiuntur: cæterum definientem defendunt, vel quod solas differentias subalternas, & nullam infimam dari censuerit, vel, quod differentias infimas, dari quidem censuerit, nobis tamen ignotas exillimarit, vel quod nobis notas quidem exillimarit, cæterum ex pluribus subalternis conflari putauerit: quare, inquit, merito Porphyrius solam differentiam subalternam definiuit: cur enim infimam specialiter definiret, quam, aut negauit, aut ignotam censuit, aut non nisi ex pluribus subalternis ratis est compositam.

Verum prima ratio pro Porphyrio allata eum, non tam defendit, quam ignorantia insinuat. Secunda ratio de differentiis vltimis nobis ignotis esto verum assumat; Porphyrio non prodest: qui, ut proprium quarto modo omni, & soli, & semper conueniens nobis cognitum falsus est, non est cur differentiam essentialem omni, soli, & semper speciei congruam, ac proinde vltimam nobis ignotam neget, aut negare censendus fiet. Tertia ratio de differentia vltima ex subalternis conflata non magis iuuat: quia species etiam ex genere, & differentia coalescit; & tamen præter definitionem generis, & differentia aliam speciei propriam Porphyrius merito tradidit: similiter ergo differentia infima quantumlibet ex multis conflata subalternis, definiri tamen specialiter debuit, aut certè non ita prætermitti, ut eam ne definitio differentia in communi comprehenderet.

Secundò Caietanus, & Sotus ipsam definitionem defendunt, adiunguntque verba illa, *differentibus specie*, non posituè, sed negatiuè accipienda esse. Pro quo notant, differentiam in communi, quatenus differentia est, tantum depolcere prædicari de pluribus in quale quid: quod autem prædicetur de pluribus

differentibus specie, non ex eo habere, quod differentia sit, sed ex eo, quod subalterna sit iuxta naturam: contrà verò, quod nequeat de differentibus specie prædicari, non inde ei obuenire, quod differentia sit, sed ex inde quod vltima: quocirca, inquit, differentia in communi, atque in tota sua latitudine rectè definitur, *ea, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*, videlicet, quia differentia ut sic, quatenus differentia est, non repugnat de iis prædicari, esto posituè ita prædicari non postulet.

Cæterum displicent primò, quia in definitione rationis communis nulla poni potest particula, quæ rationi inferiori posituè repugnet, ut ex definitione animalis, hominis, equi, & reliquis manifestè constat: & quidem aliàs homo verbi gratia, definiri posset animal mugibile: at prædicari de pluribus differentibus specie differentia infima posituè repugnat: perperam ergo in definitione differentia ut sic adhibetur. Rursus secundò, sicut differentia ut sic ex conceptu communi differentia minimè repugnat, prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid, ita similiter ei non repugnat ex conceptu communi differentia, prædicari de pluribus solo numero differentibus, in quale quid: sed non obstante hac posteriori non repugnantia nequit definiri differentia ut sic, quæ prædicatur de pluribus solo numero differentibus in quale quid: ergo etiam non obstante priori non repugnantia definiri haud poterit differentia ut sic, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid: certè sicut in vna definitione, sic in alia verba negatiuè accipi possent.

Tertiò alij apud Auicennam, & Conimbricenses respondent, differentiam ut sic prædicari de pluribus differentibus specie, non inter se sed à quouis alio: quasi differentia sit, per quam vnum ab alio specie differt: quæ definitio etiam differentia infima, rationali videlicet conuenit; cum per eam Petrus, & Paulus ab omni non homine specie differant. Cæterum hæc solutio non magis placet. In primis enim Porphyrius cap. vltimo docet, differentiam cum genere conuenire in eo, quod differentia, & genus de pluribus specie differentibus prædicatur: at genus prædicatur de pluribus differentibus specie inter se: ergo & differentia: aliàs vtriusque conuenientia æquiuoca esset, ac reapse nulla: quocirca hi authores non tam Porphyrianam definitionem defendunt, quam aliam comminiscuntur.

Vltèrius secundò, sicut differentia prædicatur de pluribus differentibus specie ab alio, ita, & species, sed species non definitur per hoc, quod de pluribus differentibus specie (subaudi ab alio) prædicatur: ergo nec differentia. Item tertio, si differentia in communi rectè definiretur per hoc, quod de pluribus specie differentibus prædicatur, definitum expresse sumptu definitione ingrederetur, haud aliter, ac si quis animal definiret: animal est animal viuens, sensibile. Quarto demum particula illa, *differentibus specie ab alio*, planè superfluit, eo ipso, quod vocula, *in quale quid*, sublequatur: quod enim, *in quale quid*, de homine v. g. prædicatur, id eo ipso hominem à quouis alio specie differre facit, cum prædicari in quale quid sit prædicari, per modum determinantis genus in quo res cum aliis conuenit.

Quare planius, & dilucidius differentia definiri potest; quæ prædicatur de pluribus in quale quid. In qua definitione sola vltima particula explicationis indiga

indiga est: quam tripliciter explano. Primò: id prædicatur in quale quid, quod, cum sit de essentia, & substantia metaphysica rei, per modum tamen accidentis prædicatur: in quo cerrè nihil est incommo- di; nihil, quod repugnet: sicut etiam corpus, & spi- ritus in vno per identitatem coherere nequeunt, & tamen spiritus per modum corporis concipi potest; & solet, ita licet essentia, & substantia metaphysica, seu logica accidens logicum esse nequeat, tamen instar accidentis prædicari & concipi potest: in quo quale quid differentiale consistit.

Deinde id, quod in compositione metaphysica æquipollet formæ physicae ex modo, quo concipitur, & prædicatur, id inquam, in quale quid prædicatur sicut id, quod in compositione metaphysica subiecto physico æquipollet, in quid prædicatur, & quod in compositione metaphysica essentia non est, sed acci- denti physico æquipollet, id præcisè in quale præ- dicatur. Demum communis modus quale quid ex- plicandi non displicet: is autem sic habet: quod ita est de essentia logica rei, ut per conceptum nomini adiectiuo respondentem prædicetur, id in quale quid prædicabitur in quid verò, si per nomen sub- stantium exprimitur. Nec, verò, quantum ar- bitror, operæ pretium est in hoc amplius im- morari.

C A P V T II.

Quotuplex sit differentia.

Differentia in primis alia est infima; alia subal- ternæ: hæc illa est, cui definitio Porphyriana su- perius impugnata competit: illa verò, quæ de pluri- bus solo numero differentibus in quale quid prædi- catur: haud enim est in præsentī sermō de differen- tia infima indiuiduali, quippe quam absoluimus trā superiori. Aduersus definitionem differentia subal- ternæ, & eius ab infima discrimen obiciēs: definitio ingredi definitionem, quod vitij etiam à nobis ad finem capitis præcedentis reprehensum est in alijs, duo enim differre specie differentiam formalissimè importat: iam ergò differentia subalternæ, ut est differentia suam intrabit defi- nitionem.

Leuiculum, nisi fallor, argumentum, cui respon- deo, eius negata sequela. Primò namque non diffe- rentia subalternæ, & genericæ facit inferiora: sua differre specie inter se, sed infima: unde definitum haudquaquam ingreditur definitionem præsentem: si quam enim eius particulam, maximè illam, *differentibus specie*: item secundò in differentia subalter- nâ duo sunt, videlicet differentia, & subalternatio: hæc verò sola explicatur per *differentibus specie*, diffe- rentia verò per reliqua: proinde definitum neuti- quam intrat definitionem, eive sese immiscet, si utriusque singula particula inter se aptè, atque cum proportionem comparentur.

Secundò diuidi consuevit differentia in diuisuam generis, constitutiuam speciei, & prædicabilem in quale quid de inferioribus: quæ membra diuiden- tia absolute non distinguuntur, at respectiue, aut in ordine ad idem sunt distincta, licet enim rationale eo ipso, quo animal contrahit, seu diuidit, reipsa hominem constituat, & quo hunc constituit, sit re- uera prædicabile de suis inferioribus in quale quid; cæterum rationale animal diuidit, non tamen consti- tuit, hominem verò constituit, non diuidit, nec con- trahit: neutrum autem facit prædicari de suis infe-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

rioribus in quale quid, cum tamen ipsum ita sit præ- dicabile citra dubium.

Circa secundam hanc diuisionem differentia com- munitè disceptari solet, num differentia respectu speciei, quam constituit, sit vniuersale? Negant Hurt. dip. 6. log. sect. 2. §. 5. Arriaga disp. 8. log. sect. 1. subsect. 3. num. 14. Ioannes à S. Thoma quæst. 10. art. 3. Conimbricenses in caput de differ. quæst. 1. art. 2. ipso eius initio, quibus subscribo. Namque vniuer- sale est vnum in multis sibi subiectis: non ergo diffe- rentia est vniuersale, nisi respectu inferiorum, quæ sibi sunt subiecta: ac proinde non intuitu speciei, quippe quæ ei non subicitur, nec inferior est, sed æqualis potius. Parco alijs probationibus: arbi- tror enim conclusionem positam sponte sua esse cla- ram, ac manifestam.

Obiciēs tamen aduersus eam primò: hæc prædi- catio, *homo est rationalis*, est alicuius prædicabilis, & vniuersalis: non alterius, quam differentia; hæc ergò est vniuersale, dum prædicatur de specie. Respon- deo esse; sed non repectu illius, esto de ea prædicetur actu, sed contemplatione indiuiduorum, de quibus potest prædicari. Obiciēs secundò: fieri diuinitus etiam nequit ut rationale v.g. constituat hominem, quin instar illius prædicari possit de indiuiduis: nec etiam esse vllatenus potest, ut rationale prædicetur in quale quid de indiuiduis, quin sit pars constitu- tiua hominis, cum idcirco dicatur in quale quid, & non in quid tantum. Aut in quale, quia animali velut eius compars in compositione essentiali spe- cie superuenit: quocirca cum inseparabilitas sit in- diciū distinctionis realis, eadem prorsus erit rela- tio rationalis ad indiuidua, atque ad speciem: sed per relationem ad illa est vniuersale: ergo etiam per respectum ad hanc. Respondeo, eas relationes esse quidem realiter indistinctas, at ratione distingui, cum sine respectu ad indiuidua possimus concipere rationalitatem prout speciei constitutiuam, deque ea prædicabilem, & contra sine ordine ad speciem, veluti prædicabilem de indiuiduis: hæc autem di- stinctio rationis sufficit, ut rationale vi vnus rela- tionis sit vniuersale, ac non vi alterius: quo pacto animal, & rationale distinguuntur tantum ratione: ac nihilominus animal est genus, & ad primum vniuersale, seu prædicabile spectans, secus verò ra- tionale, & hoc è diuerso, & non illud est respectu suorum inferiorum differentia, & ad tertium vniuer- sale, siue prædicabile pertinet.

Obiciēs tertio hæc prædicatio: *homo est rationa- lis*: est æqualis de æquali, siue ad conuertentiam, ut aiunt, at vnum vniuersale, cuiusmodi est homo, non æquatur, nisi ab alio vniuersali rationale ergo in ea prædicatione, ac per consequens respectu speciei est vniuersale. Cæterum hoc argumento id tantum con- uincitur, differentiam, ubi prædicatur de specie, esse quidem vniuersalem non tamen comparatione illius, sed potius indiuiduorum, uti perstrictum est paulò supra. Quocirca retorquetur obiectio: ea prædicatio est æqualis de æquali: ergo rationale est æquale ho- mini: haud ergo est eo superius; haud igitur vni- uersale: omne namque vniuersale suapte natura superat id, cuius intuitu vniuersalis rationem obtinet.

Tertio dissecari solet differentia in propriissi- mam, propriam, & communem. Circa quam diui- sionem quæres, an sit vniuoca? Affirmant Conim- bricenses cap. de differ. quæst. 1. art. 2. concl. 2. Loua- nienses etiam, necnon Porphyrius ipse. Quibus sub- scribo: namque per rationale, quæ est differentia pro- priissima verò, & simpliciter differt homo ab equo:

F f per

per risibile, quæ est differentia propria, similiter nec minus verè, & simpliciter per album, quæ est eius differentia communis: quemadmodum ergo animalis diuisio in hominem, & equum est vniuoca, quoniam vterque simpliciter, & vere participat rationem animalis, ita similiter in præsentibus, &c.

15 At contrariam tuentur sententiam Auicenna, Albertus Magnus, Sotus, Caietanus, Rubius, ac Balthasar Tellez: Pro quorum sententia obijciunt primò: quod est commune pluribus, haud facit ea simpliciter, ac strictè differre, sed secundum quid ad summum: fieri ergò nequit, vt differentia communis sit simpliciter differentia: talis autem vbi non sit, sed potius secundum quid haud poterit vniuocè conuenire in ratione differentia cum cæteris. Obijciunt secundò: substantia, & accidens haud conueniunt vniuocè in ratione entis: ergo nec differentia accidentalis, cuiusmodi est propria, & communis, potest vniuocam fortiri conuenientiam cum differentia substantiali, siue essentiali, qualis est propriissima.

16 Priorem obiectionem repelles ita. Differentia communis, tametsi competere possit pluribus, at eis haud semper actu competit: tum autem quidni faciat ea differre actu: exemplo sit candor, qui actus est in homine v.g. & non in equo aliquo: vtrique tamen inesse potest ex æquo: primum autem satis est ad hoc, vt sit differentia vera: secundum verò ad hoc, vt sit communis. Posteriorem obiectionem sic reijciunt: substantia, & accidens in primis conueniunt vniuocè in ratione entis: falsè igitur ex opposito colligitur, differentiam substantialem, & accidentalem haud fortiri vniuocam in ratione differentia conuenientiam. Rursus transeat, substantiam, & accidens entis haud quaquam esse vniuocata. Quid inde: Certe quemadmodum eo non obstante conuenientia, & veluti identitas plurium, siue sit substantialis, siue accidentalis, fundat relationem vniuersalis abstractam vniuocè ab omnibus vniuersalibus, vt superius visum, non conspicio, cur etiam diuisio, ac disconuenientia, siue sit substantialis, siue accidentaria non fundet rationem differentia abstractam vniuocè ab omnibus, adeoque à tribus, de quibus est in præsentiarum sermo.

17 Quartò distribuitur differentia in differentiam in actu primo, & differentiam in actu secundo: illa est causa veluti efficiens, & inferens relationem, qua formaliter vna res differt ab alia, eique est dissimilis, vt rationale in homine, hinnibile in equo, rugibile in leone, &c. hæc vero est ipsamet relatio, quæ effici dicitur, atque inferri: differentia priori modo sumpta spectat ad præsens institutum, & sola vocari consuevit tertium prædicabile: posteriori verò usurpata modo haud attinet ad præsentem materiam, sed ad prædicamentum ad aliquid: vt sumitur priori modo, ab aliis relatio facientis differre, ab aliis ratio facientis differre, nuncupatur: vt verò posteriori, relatio facti differre. Circa hanc relationem, necnon circa illam Conimbricenses in cap. tertium de diff. q. 1. art. 1. ad Tellez in log. disp. 7. sect. 1. & alij satis longè disputant, quænam sint earum fundamentum, ratio fundandi, terminusque: A qua tamen difficultate breuiter me expedio: haud enim suppositis iis, quæ disceptanda sunt in Met. lib. 3. tract. 6. cum erit de relatione prædicamentali sermo, operæ pretium est in ea multum immorari. Quod ergo attinet ad relationem facientis differre, cum non sit propria relatio, sed relationis principium, quæ versetur inter extrema, non disputo:

nam verius est inter nulla eam vltro citroque progredi. Quod verò ad relationem facti differre, in homine v.g. respectu equi existentem, spectat: aio illius fundamentum proximum esse rationale, remotum vero, hominem: hic enim mediante rationalitate, & hæc per se ipsam immediatè causat eam relationem; & alter remote quodammodo, altera proximè refertur ad equum, ab eoque differt. Eius vero ratio fundandi, ac veluti conditio est disconuenientia radicalis hominis, & equi, ac differentiarum vtrique in existentium. Denique talis relationis terminus est equus, vt sponte sua claret.

18 Quintò tantem diuiditur differentia in physicam, & metaphysicam, siue, vt loquuntur alij, logicam: posterior est, quam hæcenus explicuimus, vt rationale, sensibile, &c. prior vero est anima hominis, equi, aut alterius compositi substantialis forma: ita enim se habet anima ad materiam eam actuando, vt sic dixerim, & determinando, vti rationale ad animal: de posteriori differentia tantum, non de priori sermo est dialecticus in præsentibus.

19 Non me latet, Conimbricenses, & alios hanc diuisionem aliter explicare; vt nimirum differentia physica sit esse materiæ, formatæ; metaphysica contra, denominatio rationalis, hinnibilis, & alia quæuis id genus à materiæ, & formæ coniunctione desumpta. Hæc explicatio mihi quoque haud displicet. Quod enim aliqui negant, eas prædicationes, in quibus materiæ, & forma enuntiantur in concreto nullius esse prædicabilis, adeoque, nec differentia, qua de agimus, omni caret fundamento, ac verisimilitudine. Rursus quod alij volunt, eas prædicationes, esse generis, & speciei haud est probabilius: nam esse materiæ contrahit rationem communem corporei, quod suapte natura præscindit ab eo, quod constat materiæ incompleta, vel non; eique adiacet: aliunde verò essentiale est homini: de eo ergò prædicatur in quale quid: haud ergo esse potest genus, quippe cui non contingit nisi in quid prædicari. Eadem ratione conuinci potest, esse formatum anima rationali, aliaue forma nequaquam esse speciem.

C A P V T III.

An differentia subalterna sit de conceptu infima?

20 Inter sectiones differentia hæcenus in transcurso tradita eius in differentiam infimam & subalternam celeberrima est, ac cæteris magis operosa. Quapropter ea est iterum ad incudem reuocanda: potissima autem circa eiusmodi partitionem difficultas hoc, & sequenti capite est discutienda: tum verò duæ aliæ haud tanti operis, sed non parui pendenda tamen. Quò autem ea, quæ est huius præfixa titulo capitis, commodius possit enucleari.

21 Præmittendum est primo, differentiam infimam nequaquam esse de conceptu quidditatio, & formali generis, aut differentia subalterna; alias, si rationale v.g. foret ita de conceptu animalis, seu sensibilis, quidquid esset sensibile, & animal, id esset rationale, non secus, atque omne, quod est homo, est rationale, eò quod rationale sit de conceptu, & quidditate hominis. Præmittendum est secundò, eandem esse rationem generis, ac differentia subalterna, quod ad præsens attinet: quare promiscuè, tam genus, quam differentiam subalternam cum infima compara

comparabimus, & si solam differentiam subalternam in titulo praefixerimus, nimirum ut ordo, ac tenor totius doctrinae de differentia minimè varietur.

21 Quibus positis prima sententia est, differentiam subalternam, genusque includi quidditatiuè, & formaliter in infima. Ita Themistius lib. 1. poster. cap. 8. text. 7. Philop. 2. post. 23. & 1. topic. cap. 1. Auerroës 7. metaph. text. 43. Referri etiam pro ea sententia solent Alexander, & alij interpretes Aristotelis. Illam item tuentur Occamus in 1. dist. 8. q. 6. & cum eo Gabriel, & ceteri Nominales. Soncinas quoque 7. metaph. quæst. 37. Auerfain log. q. 13. sect. 5.

22 Pro quibus sequentia argumenta partim possunt partim solent confici. Hinnibile est per aliquod definibile genus: non per aliud, quàm animal: ergo est formaliter animal: Siquidem genus omnium consensu est de conceptu definiti per illud, ut visere est in homine, & animali. Rursus secundò: plus distat ens ab ultimis differentiis, quam quoduis genus, cum nullum genus sub ente non contineatur, eoque non sit inferius: sed ens est de conceptu differentiae cuiusvis, quantumvis ultimæ: siquidem esse cuiuslibet rei suæ sit ratio conueniendi, suæ differendi est quidditatiuum, ac formale, primumque, quod de eo concipitur ab intellectu: genus igitur à fortiori, ut aiunt, est de quidditatiuò, ac formali conceptu differentiae ultimæ, utpote cui vicinior est, quam ens, quamque propius attingit.

23 Præterea tertio: non ideo est formaliter animal equus, quia conceptus respondens huic voci, *equus*, sit conceptus, qui huic voci, *animal*, respondet: equus igitur ideo est formaliter animal, illudque quidditatiuè ratione includit, quia repugnat aliquid esse obiectum cognitionis equi, quod non sit obiectum cognitionis, quæ huic voci, *animal*, est subiecta: cum ergò repugnet, aliquid esse obiectum cognitionis, quæ respondet huic voci, *hinnibile*, quod non sit obiectum cognitionis animalis, vel sensibilis, sanè hinnibile erit formaliter animal, & sensibile, atque adeò hæc de illius erunt conceptu formali: duæ consequentiæ sunt perspicuæ: probatur antecedens, quia conceptus respondens huic voci, *equus*, explicitè, & formaliter equum, animal verò implicitè, & virtualiter repræsentat, cum cognitio animalis utrumque opposito modo repræsentet.

24 Quarto: quoniam hinnitus est formaliter sensatio, & vita: principium ergo hinnitus est formaliter principium vitæ, & sensationis: hinnibile igitur est formaliter sensibile, & viuens: siquidem hinnibile cum principio hinnitus, & viuens, ac sensibile cum principio vitæ, & sensationis reuertunt, ac sunt eadem prorsus. Quintò: nulla differentia infima est simplex, sed composita ex pluribus subalternis: at differentia subalterna est de conceptu compositi, quod formaliter constituit: ergo & de conceptu differentiae infimæ: maior, in qua sola est difficultas, suadet hunc in modum. Differentia infima hominis munere cuius à quouis alio differt, & cum nullo alio conuenit, non est rationale, seu intellectiuum, in quo cum Angelo conuenit, nec sensibile, in quo cum bellua conuenit: ergo ex sensibili, & rationali componitur, quorum alterutrum est differentia subalterna, & de pluribus differentiis specie prædicatur. Deinde actus simul practicus, & speculatiuus, quatenus talis, differt ultimò ab actu purè practico, & purè speculatiuo: sed quæ simul practicus, & speculatiuus est absolute practi-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

cus, nec re tantum, sed ratione formali: differentia igitur illa vltima actus intellectus, nimirum esse simul practicum, & speculatiuum includit formaliter hoc, quod est esse absolute practicum, quod certè differentia subalterna negari non potest, cum de pluribus differentiis specie, videlicet de purè practico, & mixtè practico prædicetur.

Item sextò: Cognitio, cum diuiditur in apprehensiuam, iudicatiuam, & discursiuam, huiusmodi differentia non possunt non formaliter includere in suis conceptibus rationem communem, & genericam cognitionis: idem ergo dicendum est de quibusvis aliis differentiis infimis, suorum comparatione generum: consequentia est in propatulo: suadetur antecedens: siquidem esse apprehensiuam aliquam cognitionem inuoluit formaliter apprehensionem, hæc autem cognitionem, quorum alterum, & alterum videtur luce clarius: ea ergo differentia cohibet intimè, & formaliter cognitionem: par autem ratio est duarum sequentium, videlicet illarum, quibus cognitio redditur iudicatiua, & discursiua. Septimo: Numerus in communi velut differentia, vendicat binarium, ternarium, quaternarium, &c. at hæc differentia rationem communem, & genericam numeri formaliter, & quidditatiuè inuoluunt: ergo & quæcunque aliæ: prior antecedentis pars sponte sua claret: posterior autem haud minus, nisi valde fallor: siquidem binarius v. g. suæ dualis est formalissimè numerus, nec aliquid concipi potest, quod non sit numerus: Vel si dualitas non est quidditatiuè numerus, cedo, quid sit formaliter.

Secunda sententia est, genus, & differentiam subalternam haudquaquam imitari formaliter, & quidditatiuè in infima. Ita Capreolus in 1. dist. 2. quæst. 2. Caietanus in prædicab. cap. de diff. Sanchez in log. lib. 3. quæst. 28. Cabero tract. 3. disp. 4. Ioannes à S. Thoma 2. part. log. quæst. 10. art. 4. Gabriel Zerbus 7. metaph. quæst. 16. Suesan. disp. 16. Masius in præfati sect. 2. Scotus etiam 7. metaph. quæst. 7. & 2. poster. quæst. 58. & communiter sectatores, Simplicius cap. 3. de antepædicam. Auicenna in dialect. cap. 11. Albertus Magnus tract. 5. de prædicabil. cap. 6. & apud eam Alpharabius: Ex nostris Fonseca 5. metaph. c. 28. quæst. 17. sect. 2. Suarez disp. 6. metaph. sect. 9. Collegium Conimbricense in præfati quæst. 2. art. 2. §. *opposita tamen sententia*. Rubius quæst. 5. Amicus tract. 5. quæst. 2. dub. 3. Petrus Hurtadus disp. 6. log. sect. 3. Arriaga disp. 8. log. sect. 1. & subsect. 1. Balthasar Tellez disp. 7. log. sect. 1. num. 19. Compton. disp. 36. log. sect. 3.

Potissima autem huius sententiae argumenta præter tot, & tantorum auctoritatem Doctorum sunt isthæc. Si genus esset de conceptu formali differentiae specificæ ultimæ, etiam esset de conceptu proprii quarto modo: quidem enim potius habet differentia propriissima, ac specialis equi quoquomodo explicata per hanc vocem, *hinnibile*: quam differentia quarto modo propria hominis huic voci, *sensibile*, subiecta, ut vna potius, quam alia genus in sensum animal, aut viuens formaliter includat, præsertim si rationes spectes aduersariorum: est animal non est de formali conceptu proprii quarto modo: ergo nec de conceptu differentiae infimæ: partes omnes syllogismi nullo egent probamento, si sola minor excipiat: hæc autem probatur: quia alias proprii in quale quid prædicaretur: in quale, ut constentur omnes: in quid, quia formaliter includit genus, quod sanè in quid de suis prædicatur inferioribus.

FF 2 Secunda

28

Secunda eius sententiæ probatio sic habet. Inter differentiam infimam, & subalternam debet esse aliqua distinctio rationis. Tum, quia id est in concessio apud plerisque aduersariis: tum etiam, quia altera est gradus superior, & altera inferior: horum autem graduum distinctio vniuersim, est à nobis probata lib. præcedenti. Eiusmodi autem distinctio rationis vtriusque differentia debet esse mutua, & reciproca, ita, vt quantum differentia subalternæ ab infima, tantundem infima è contrario distinguatur à subalternæ, quod exemplo distinctionis realis, & aliarum etiam relationum non semel est à nobis ostensum in Metaph. Sed differentia subalternæ ita est ratione distincta ab infima, vt eam formaliter non inuoluat: ergo etiam infima ita distinguitur à subalternæ, vt eam formaliter non cohibeat.

29

Tertia eius sententiæ probatio esto. Species hominis v. g. componitur ex genere, & differentia metaphysicè vtrique, siue logice, sed compositio metaphysica fit ex partibus adæquatè distinctis, & quarum neutra formaliter complectitur alteram: ergo &c. maior conspicua est: minor suadetur paritate compositionis physica, in qua, siue sit ex materia, & forma substantiali, siue ex subiecto, & accidenti, siue ex extremis continuis, siue ex natura, & subsistentia semper partes adæquatè, & ex toto sunt distinctæ, ita, vt neutra altera includat realiter: Equidem alias ex homine, & animali compositio metaphysica fieri posset; quod quis absurdum non censeat? Postrema eius opinionis probatio est talis. Ex opposita, sequeretur, fore vt differentia infima equi v. g. per hinnibile, vel propriè, sed certè, translative explicata, haud esset tantum differentia, sed tota species: hæc enim, quid aliud est, quam genus, & differentia: sed ea, qua de loquimur, esset genus, & differentia; genus, quia illud formaliter includit iuxta contrarios; differentia verò, quia nequit seipsam veluti dediscere, siue à se distingui. Vno verbo: ea differentia esset formaliter animal hinnibile, adeoque totus equus: animal; quia hoc est eius genus: hinnibile verò, vt per se liquecit.

CAPVT IV.

Eligitur posterior sententia, & satisfat argumentis prioris.

30

ARbitror, posteriorem sententiam esse multis partibus veriorē: tum propter eius argumenta: tum etiam, quia est magis consona iis, quæ disseram in metaph. lib. 5. tra& 1. de differentiis infimis, non tantum specierum, de quibus modo, sed etiam quorumuis aliorum graduum superiorum. Citato namque loco ostendam, nullam differentiam infimam transcendere quidditatiue ab ente: multo ergo minus transcendere poterunt à generibus inferioribus, magisque crassis, atque compositis vltimæ specierum differentia. Quo autem expeditius respondere possimus rationibus in contrarium adductis animaduertendum est, differentias vltimas specierum propriè innominatas esse, nec explicari à nobis posse, aut solere, nisi improprie, & vocibus aliunde emendicatis, eis nimirum, quibus, aut differentia subalternæ cumulatim sumptæ, aut totæ species, aut proprietates quarto modo strictè significantur.

31

Ecquid enim est rationale, per quod hominis specifica differentia solet explicari, quam intelle-

ctuum ministerio sensuum, siue intellectuum, ac sensitiuum, ac per consequens plurium differentiarum subalternarum, nomen proprium? Ecquid hinnibile, quod translaturum est ad significandam differentiam propriam equi, eamque formalitatem, addit talis sensibilitas equi supra rationem communem sensibilitatis, ac vitæ, quam vocabulum proprietatis cuiusdam equi quarto modo? Ecquid denique dualitas, qua solet significari differentia quædam infima numeri, quam totius speciei nomenclatura, aut apprehensio, qua dicitur vltimò differre cognitio, vt sic, à iudicio, & discursu, quam vox integræ etiam speciei?

32

Et quidem hoc haud mirum vlli debet contingere, rem si rectè perpendat. Namque voces subtilitatem intellectus nequaquam possunt assequi: proinde licet intellectus valeat discernere differentias infimas specierum, tum à quauis complexione differentiarum subalternarum, tum à speciebus ipsis, tum etiam ab earum proprietatibus quarto modo, haud propterea fiet, id posse facultatem elocutiuam. Rursus secundo iuxta nostra principia nulla res est, quæ non sit in formalitates infinitas, virtualiter distinctas scetilis: & tamen non suppetunt nobis infinita nomina ad eas inuicem discernendas, & seorsim exprimendas: similiter ergo quanquam differentia specierum infima à generibus, & proprietatibus suis adæquatè, & speciebus inadæquate distinguantur, non ob id necessum est, eas propria sibi, ac distincta nomina vendicare. Præterea tertio, id colligi videtur ex Aristotele Poster. tex. 27. vbi quod ait differentias in plus esse, quam species, seu speciebus vniuersiores, de differentiis nobis quidditatiue notis explicant Peripatetici omnes, quasi nimirum Aristoteles differentias nobis, ita notas, speciebus magis vniuersales, ac subalternas esse assereret: iuxta eum ergò differentia infima specierum, quidditatiua, & exacta ratione nobis sunt ignota: quid mirum ergo, si propriis nominibus designari nequeant, & aliena sibi arrogent? Etenim ex inopia conceptus proprii, & quidditatiui, proprii nominis inopia non potest non proficisci: Hoc pacto per pronomen, hoc, aut, illud, & similia indiuiduationem Petri designamus, cum tamen eiusmodi voces demonstratiuæ cuius alij indiuiduationi sint communes, videlicet quia indiuiduationem Petri strictè definire, & eius à quauis alia disconuenientiam, & veluti dissimilitudinem, quantum satis est, cognoscere haud valemus. Tandem in probationem huius instituti multa sunt à nobis adducenda metaph. lib. 5. tra& 1. nuper citatis.

33

Hinc respondeo ad primum argumentum contrarium eorum, quæ sunt initio capitis præcedentis proposita. Quemadmodum genus supremum, quod illud cunque sit, & siue ens, siue substantia v. g. per genus, & differentiam definiti nequit, cum genus superius supremo dari non possit, ita similiter nihil incommodi in eo videtur esse, quod differentia infima cuius speciei porro definiri nequeat per genus, & differentiam. Deinde respondeo: differentiam infimam equi v. g. ad quam significandam translaturum est hinnibile, fortasse definiri posse per aliquod genus; non illud tamen, cum quo speciem velut pars constituit, animal v. g. de quo solo est questio, sed per aliud nobis ignotum, & innominatum, haud secus, ac ipsa differentia infima equi, & cuiusuis alterius speciei nobis quidditatiue nota non est, nec proprio aliquo indigitata vocabulo.

Ad secundum respondeo, ens non includi formaliter in differentia vlla infima, vt late, & ex professo

34

professo ostendendum est citato libro 5. metaph. tract. 1. Deinde esto includatur, quid inde id certe ab eius simplicitate, ac subtilitate proficitur: quo enim simplicior, & subtilior est res aliqua eo magis penetrat, seque immiscet, ut cernere datur in rebus physicis: ens autem vniuersalitatis suae gratia simplicissimum, ac subtilissimum est, omnisque compositionis etiam metaphysicæ, seu logicæ exors suapte natura: mirum ergo non est, quod conceptus omnes etiam ultimos penetrare possit, & petat, eosque magis transcendere, quam genus sibi subiectum, & differentia subalterna, quæ, ut vniuersalitatem, sic etiam simplicitatem ac subtilitatem entis minimè attingunt.

35

Ad tertium respondeo: sicut nihil est, aut esse potest obiectum huius actus, intellectio diuina, quod non sit quodammodo obiectum actus, qui huic voci, *voluntio diuina*, respondet: & tamen intellectio diuina ab eius volitione distinguitur; idemque in misericordia, & iustitia, aliisque Dei attributis accidit; ita similiter, esto, nihil sit, esseve possit obiectum huius actus, *hinnibile*, quod non sit obiectum huius actus animal, non propterea hinnibile, quodve per illud translatiue aut, si mauis, propriè significatur, erit formaliter animal. Ratio autem, cur equus sit formaliter animal, non est ea, quam intendunt aduersarij, sed potius compositio, qua equus ex animali, & hinnibili metaphysicè, seu logicè componitur: partem autem metaphysicam in concreto sumptam de toto metaphysico eadem usurpatione ratione formaliter prædicari apud omnes confessæ res est, atque manifesta: quæ ratio non procedit in differentia infima equi, ad quam significandam translatus est hinnibilis vocabulum: quippe quæ ex animali non componitur, alias non tam differentia futura esset, quam tota species, ut supra arguebamus. Ad hæc secundo: quidquid sit, an omne, quod est obiectum actus respondentis propriè aut translatiue huic voci, *hinnibile*, sit obiectum actus subiecti huic voci, animal, obiectum, inquam, materialiter & implicite: at certè tale non est formaliter, & explicite, cum nostris in principiis intellectus possit, & soleat obiectiue præscindere alteram earum formalitatem ab altera, quæ est earum virtualis distinctio, & hæc reciproca, valensque retrorsum.

36

Ad quartum respondeo. Hinnitus non est formaliter sensatio, & vita, cum equum hinnire, saltem diuinitus accidere possit, quin hinnitum sentiat, seve hinnire aduertat: quare non est cur hinnibile, aut principium hinnitus propriè sumptum sit formaliter principium vitæ, & sensationis, seu viuens, & sensibile. Insuper transeat, hinnitum, propriè loquendo, esse vitam, & sensationem equi, adeoque hinnibile eadem proprietate esse principium vitæ, & sensationis siue viuens sensibile; hoc sanè id tantum conuincitur, differentiam quandam notam, ac nominatam equi, eoque ipso non minus latè fuscā includere genus, ac differentiam subalternam: nos autem haud aliud statuimus supra, quam differentiam infimam equi quidditatiue ignotam, ac propriè innominatam, nec nisi in hinnibili latentem non transcendendi formaliter à genere animalis, differentiaque subalterna.

37

Ad quintum respondeo: differentia infima simplex est, & ex pluribus subalternis minime composita: tum, quia differentia indiuidualis est simplex, & nequaquam coalescens ex aggregatione plurium accidentium, ut plures Thomistæ censent, aduersus quos tamen agendum est in metaphysica: tum etiam

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

quia in compositione physica forma specifica, & infima, hominis v.g. simplex est, omnium consensuet quidem iure optimo, cum sit spiritalis: similiter ergo in metaphysica compositione differentia specifica, & infima hominis simplex erit, & non plurimum subalternatum cumulus. Atque ita de ea & de quacunque alià censent Conimbricenses, Fonseca, & plerique authores pro nostra opinione laudati superius.

38

Ad primam probationem oppositam dicendum est, rationale propriè sumptum esse quidem formaliter sensitium, & intellectuum, adeoque complexionem quandam plurium differentiarum subalternarum: cæterum ita usurpatum haud esse differentiam infimam hominis, sed quatenus transfertur ad significandum id, quod vis intellectiua hominis seorsim à gradu sensitiui addit supra vim intellectiue in communi, idque penes quod ab ea virtualiter distinguitur: huiusmodi autem occulta formalitas, nec nisi impropriè per rationalitatem significata non est sensitium, & intellectuum, nec esse probatur argumento contrario: erit ergo simplex, & incomposita.

39

Ad secundam probationem contrariam dicendum est, hoc, quod est actum esse simul practicum, & speculatiuum, seu mixti generis, nequaquam esse differentiam infimam actus intellectus, cum actus mixtus in tali, ac tali modo mixtum diuidi possit ulterius; quemadmodum sensibile diuiduum est in hoc, & illo modo sensibile, humanum scilicet, & belluinum. Cæterum ubi semel differentia superior sit inclusa formaliter in inferiori, qualis est actum intellectus esse mixtum respectu practici absolute, non erit cur includi nequeat in infima. Proinde secundo respondeo, actum simul practicum, & speculatiuum esse duos actus ratione distinctos, duobusque differentiis ratione distinctis constare, ex quibus vna differentia, ratione nostra componi nequit: ad modum, quo ex genere, & differentia vna species coalescit: quare, tametsi practicum absolute sit de conceptu, & quidditate practici simul, & speculatiui, non ob id differentia subalterna erit de conceptu formali infimæ, sed vna infima de conceptu duplicis infimæ, aut, si mauis, vna subalterna de conceptu duplicis subalternæ; propt nimirum quisque eas differentias practici, & speculationis habuerit, & siue eas in actu illo mixto, ac ratione nostra, duplici, malit infimas, siue subalternas.

40

Hæc dicta sunt iuxta magis communem: & à nobis etiam receptam sententiam, penes quam formalitatum virtualiter distinctarum inuicem quæuis est indiuisibilis. Quod si infinitarum formalitatum nulla non sit infinities diuisibilis, ut tanquam probabile admitteremus in loco; ita quidem fatendum est differentiam infimam, & specificam: haud esse simplicem omni sensu, sed aliquo compositam: cæterum ea compositio non est differentiarum subalternarum quam solummodo refutamus, sed aliarum formalitatum inferiorum. Itaque differentia infima equi, v.g. ad quam, ut toties dictum est, significandam translata est hinnibilitas, haud est composita ex differentia viuens, & differentia sensibilis, aliisque innumeris id genus; sed potius eius infinita compositio, & numerositas haurienda est ex aliis gradibus metaphysicis quibus nimirum, vel infinitas partes continuas materiæ, vel, si mauis, formæ respiciat, aut certè aliqua alia connotata numero omni carentia. Maneat ergo, tum ei differentia, tum cuius alteri infimæ, eam constare simplicitatem, qua de loquimur, tametsi sit expers alterius simplicitatis, quæ

F f 3 est

est extrâ præsentem controuersiam, quæque potius spectat ad aliam. Vt autem eo vnde digressus sum, reuertar, alia solutio superioris argumenti ordine quinti; nimirum ea, qua mox fiet satis, tum sexto, tum etiam septimo.

- 41 Ad quæ respondeo; binarium, ternarium, & sequentes sine fine combinationes esse differentias numeri, & apprehensuum, iudicatum, & discursuum esse quoque differentias actus intellectus nostri: cæterum alterutras differentias esse nominatas & speciebus suis parat, ab eisque prorsus indistinctas: Quare, quod includant genus, nihil aliud esse, quam hoc in speciebus formaliter claudi. At in præsentem sermo nobis est duntaxat de differentiis numeri, & cognitionis à speciebus suis distinctis, iisque minus latè fufis, & quæ tametsi per binarium, ternarium, &c. nec non apprehensuum, iudicatum, & discursuum translatitiè, & improprie significentur; at propriis sint destitutæ nominibus, & hoc sensu occultæ, & innominatæ: Huiusmodi autem in differentiis, ecquis non videat, nihil habere roboris sextum, & septimum argumentum aduersus nostram obiecta sententiam? Ea ergo est contrariæ præferenda,

CAPVT V.

Due alia difficultates circa diuisionem differentie in infimam, & subalternam.

- 42 Prior est, quatenus, tum ipsum diuisum, tum etiam membra diuidentia sint abstractioni obnoxia? Cui respondeo triplici assertionem. Assero igitur primò: differentia infima, speciesque vltimò constitutiuæ nequit ab hac, & illa abstrahi. Suadetur autem: quia magis distat vna differentia specifica ab alia, quam vnum indiuiduum ab alio, cum eiusmodi differentie sint dissimiles, indiuidua vero non tam dissimilia sint, quam distincta: Sed indiuidua ita distant inuicem, vt conuenire, & coalescere nequeant in vnam, eandemque rationem communem: id ipsum ergo dicendum est à fortiori, vt aiunt, de differentiis specierum infimis. Rursus secundo, quia alioqui ratio illa communis, & abstracta differentie infimæ foret, & non foret differentia infima. Neque non sequeretur processus in infinitum in differentiis specierum vltimis; & alia incommoda quæ supra tract. 4. probatum est sequi ex ratione communi indiuidui.

- 43 Assero secundo: Nequit etiam abstrahi ratio communis differentie ab infima, & subalternam. Probatur assertio hunc in modum. Nam ratio illa communis, & abstracta esset, & non esset differentia subalternam, repugnat ergo: non esset; quemadmodum enim animal vt sic non est formaliter homo, à quo abstrahitur ita etiam differentia hoc ipso, quod sit abstracta ab infima, & subalternam nequit esse formaliter subalternam: Deinde esset necessaria ratione subalternam, quæ est altera pars contradictionis: siquidem differentia subalternam est ea, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, atque, vt visum est superius, hoc solo differt ab infima: sed ratio communis differentie abstracta ab infima, & subalternam de his, ac proinde de pluribus differentibus specie prædicatur: quid ergo ei deesse potest, ad rationem differentie subalternam?

- 44 Respondebit fortasse aliquis huic argumento, differentiam vt sic, & vniuersalissimè sumptam non

esse formaliter subalternam, quia, licet prædicetur de pluribus differentibus specie, non tamen in quale quid, sed in quid: cuius ratio est, quoniam hæc, & illa differentia hincibile v.g. & sensibile, ita sunt instituta, vt respectu illarum differentia vt sic, non sit differentia, sed genus, vt accidens respectu huius. & illius est genus, & non accidens in actu exercito, vt aiunt, sed improprie, & in actu signato ad summum: proinde ratio differentie abstracta, de qua est in præsentem quæstio, non est subalternam differentia; oportet enim, hanc prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid, & non in quid, siue instar generis.

Verum si differentia vt sic, & latissimè fusa est genus respectu huius, & illius differentie; cedo, quorum inferiorum respectu sit differentia? atque idem redibit argumentum: nulla certe possunt assignari, quam genera, & species, quæ differentiam illam in communi prout contractam per suas peculiare inuoluunt: differentia ergo in communi, qua de loquimur, prædicatur de pluribus generibus, ac de pluribus speciebus in quale quid: ergo prædicatur velut differentia & in quale de pluribus differentibus specie, & quod plus est genere etiam: nisi vero species differre specie, & genera genere ausis inficiari; ergo est formaliter subalternam: quod tamen repugnat, cum ab ea abstrahatur non minus, quam ab infima.

Præterea differentia vt sic, semel admissa, est prædicabilis in quale quid de aliquibus multis: at non de multis solo numero differentibus: ergo etiam de pluribus specie differentibus; quemadmodum oportet, vt sit formaliter differentia subalternam: Maior est citra dubium: minor suadetur: si differentia vt sic esset restricta ad inferiora solo numero differentia, sanè nulla esset differentia particularis, quæ prædicari posset, nisi de inferioribus solo numero diuersis: adeoque nulla esset subalternam: quemadmodum, si prædicabile vt sic ad sola inferiora similia sponte sua restrictum esset, profectò nullum ex quinque prædicabilibus in particulari alia inferiora præterquam similia posset vendicare. Nec valet, si respondeas, præcindi ab eo, quod inferiora differentia vt sic debeant esse solo numero, vel etiam specie differentia inuicem: Namque eiusmodi præcisis est coniuncta cum aptitudine, & non repugnantia quadam differentie, vt sic ad inferiora specie diuersa: hoc autem satis, superque est, vt sit formaliter subalternam.

Assero tertio: probabilius videtur, ab hac, & illa differentia subalternam abstrahi posse rationem communem, atque vniuersalem differentie subalternam. Suadetur primò: quoniam nulla repugnantia earum, quas paulo supra comperimus in abstractione differentie infimæ vt sic ab hac, & illa, aut differentie latissimè fuscæ ab infima, & subalternam procedit in ratione communi, & abstracta differentie subalternam, vt intuenti palam erit: quorsum ergo negetur? Secundo, quia genus in communi abstrahitur ab omnibus generibus in particulari: quid ni ergo differentia subalternam ab hac, & illa?

Contra tertiam hanc, & postremam assertionem nihil video, quod difficultatem possit aliquam facere. Contra secundam illud potest obici: nisi detur ratio communis, & abstracta differentie vt sic ab omnibus, & singulis, fieri non posse, vt differentia sit vnum prædicabile: Consequens autem est absurdum. Sed respondeo; tametsi ratio communis, & vniuersalis differentie latissimè fuscæ nequaquam detur, nihilominus

nihilominus differentiam vt sic vnum prædicabile posse quoddammodo constituere, sicut ad numerum quinque prædicabilium oportet: namque necessarium non est, vt tertium prædicabile sit aliter vnum, quam vnitatem solius aggregationis: quod etiam de genere primo prædicabili, non vera, at certe communis antiquorum sententia tradit, vt liquet ex dictis supra tract. primo. Contra primam assertionem obici potest. Differentia infima, siue specifica hominis v. g. est proprie differentia infima: similiter equina, & quæcunque alia: omnes ergo sunt similes in conceptu differentia infima: hæc ergo ab eis poterit abstrahi: Sed huic argumento, & multis aliis id genus in simili responsum est supra tract. 4. cum esset de ratione communi indiuidui sermo.

49 Posterior difficultas circa prædictam diuisionem differentia in infimam, & subalternam est, an ambæ ad vnum, idemque prædicabile attineant. Abraham de Raconis in sua logica, & quidam alij negant: Nam si genus, inquirunt, & species sunt diuersa prædicabilia, & non vnum, quia genus de pluribus differentibus specie in quid, & species de pluribus differentibus solo numero prædicatur in quid; non est, quapropter differentia infima, & subalterna non sint aliud, & aliud prædicabile, siquidem altera de pluribus specie differentibus in quale quid, & altera de pluribus solo numero differentibus in quale quid prædicatur. Caterum opposita sententia est tanquam verior amplectenda: tum, quia est Porphyrij, & plerorumque Dialecticorum: tum etiam, quia ratio contraria nihil viget: namque genus incompletè, & species completè prædicatur, idque, vt visum est in loco, ex adducta vtriusque definitione apertè colligitur: quocirca, non est, cur iuxta eam non sint diuersa prædicabilia: ceterum differentia vltima, & subalterna, id commune habent, vt earum alterutra prædicetur incompletè, & velut pars metaphysica; proinde ad idem prædicabile pertinebunt: quod autem altera vltimò, & altera non vltimò prædicatur, nequaquam obest; aliàs genus supremum, & infimum ad diuersa prædicabilia spectarent.

50 At dices ex Arriaga: per differentiam infimam, ac speciei parem, res omnis completè, siue adæquatè differt ab alia, eivè est dissimilis, cum nihil sit, à quo vi illius, ita non dissideat: at per subalternam vna res tantum inadæquatè, & incompletè à quavis alia, cum vi illius tantum disparetur à rebus, quæ non sunt eiusdem secum generis, non vero ab iis, quæ sub eodem, cum ipsa cohibentur genere: Quemadmodum ergo genus, & species sunt duo prædicabilia propter rationem à nobis traditam, ita etiam ambæ differentia, de quibus est questio. Respondeo, vtramque differentiam prædicari incompletè: aliud enim est facere differre, aliud prædicari: nam genus non facit differre, & tamen prædicatur: quocirca, licet differentia infima faciat rem completè differre, non ob id prædicatur complete: Ratio autem, quapropter genus est diuersum prædicabile ab specie iuxta nos, est, quia hæc dicitur in quid complete, illud vero incompletè: istiusmodi verò ratio, neutiquam procedit in differentia infima, & subalterna: non est ergo, quod ambæ non possint reduci ad vnum, idemque prædicabile.



TRACTATUS VI.

De proprio, & accidenti.

CAPVT I.

De Proprio.



PROPRIVM à Porphyrio in præsentiarum capite quarto quadrupliciter diuiditur. Primum est, quod soli alicui speciei conuenit, non tamen omni: vt esse musicum strictè loquendo soli competit homini, non cuiusque tamen. Secundum est, quod omni conuenit, non tamen soli, vt esse bipedem, omnis enim homo suapte natura bipes est, non tamen solus, cum alites etiam eam vendicent proprietatem. Tertium est, quod omni, & soli, non tamen semper congruit: quo pacto se habet ridere respectu hominis. Quartum est, quod omni, soli, & semper congruit, veluti eiusdem hominis intuitu risibile: quocirca in prædictis definitionibus vti syncategorema, soli, supra speciem, ita syncategorema, omni, supra indiuiduum appellat.

Quale proprium ex his quatuor strictè proprium sit, & quartum prædicabile constituat maiori contentione, quam vtilitate decertatur inter auctores. In primis proprium primo modo strictè ratione proprium non esse, & ad quartum prædicabile non spectare mihi est exploratum: quis enim sentiat, proprietatem strictam hominis id esse, quod fere nulli homini conuenit: at proprium primo modo est huiusmodi; siquidem esse summum oratorem, dialecticorum principem, & his similia soli homini, non tamen omni, aut semper conueniunt, cum nemo ferè sit, qui eo peruenire possit, & pauci, qui eo prope accedant. Deinde proprium secundo modo ad quartum prædicabile non spectare, & proprie proprium non esse, ita suadeo: quod homini cum alio commune est, ei strictè proprium non est, cum proprium, & commune opponantur: at esse bipedem homini cum aliis speciebus commune est: Idem de proprio tertio modo dicendum est, quia duo opposita nequeunt esse strictæ proprietates eiusdem rei, cum oppositæ proprietates oppositas, & diuersas essentias omnium consensu postulent: at si proprium tertio modo proprie tale esset, idem oppositæ proprietates suo sibi iure vendicaret: ergo &c. minor, quæ sola videtur egere probamento, hunc in modum probatur: assentiri actu, vt aiunt, secundo omni, & soli intellectui, non tamen semper conuenit: idemque de hoc, quod est dissentiri pariter dicendum est: is ergo conueniendi modus, si ad proprium strictè sumptum sufficit, intellectus vt sic, & quæuis alia essentia oppositas, & repugnantes proprietates sibi vendicabit.

Quare proprium quarto modo solum strictè, tale est, & ad quartum prædicabile spectat: id quod Aristoteles 4. top. expressè docuit: proprium (inquiens) est quod soli inest, & conuersim prædicatur de re, nemo enim proprium dixerit, quod contigerit alij inesse: Ex quibus verbis in hunc modum argumentor: quod conuersim prædicatur de aliquo subiecto, omni, soli, & semper tali subiecto conuenit: at proprium simpliciter, & strictè sumptum con-